

§. VIII.

Noxæ.

Enimvero supra jam præiudiciis practicis adscripsimus effectum, & nunc denuo indicamus, magnum scilicet inde in praxin Christianismi redundare impedimentum. Quod hinc patet, quia non solum multæ actiones bonæ ab istis impediuntur, sed etiam malæ permultæ inde oriuntur. Hoc vero infra uberius demonstrare conabimur. Nunc illud generatim monuisse sufficiat, sic hominem impediri, quo minus ad agnitionem veritatis pervenire possit, 2. *Tim. III*, 7. & veritatem per illa detineri in injustitia, *Rom. I*, 18. imo quod Apostolus *v. 25*. dicit: sic veritatem divinam mutari in mendacia.

CAPVT II.

Divisionem & Catalogum Præiudiciorum practicorum exhibens.

TAm multigena sunt præiudicia practica, quam variæ sunt ipsæ hominum actiones. Quæ adeo pro diverso respectu diversimode possunt dividi. Principalem tamen tenebimus divisionem, qua pro diversitate principii aut finis dividuntur in præiudicia *voluptatis* sive carnis, *ambitionis* & *avaritia*. Quamlibet vero harum classium iterum ad duo revocabimus capita, quatenus nimirum hæc præiudicia occupantur vel circa præcepta Theologiæ *Positiva*, vel *Moralis*. In hac posteriori divisione iterum triplicem habebimus respectum, quatenus nempe ea impingunt vel in officia *erga Deum*, vel *erga nos ipsos*, vel denique *erga alios*. Differunt vero hæc præiudicia practica in ipsis hominibus, pro ratione diversæ inclinationis, prout quis vel voluptates, vel honores, vel divitias propotiori bono habet, ad quod obtinendum præcipuæ ejus actiones diriguntur, & per præiudicia practica suffulciuntur. Nos in illorum recensione ita versabimur, ut refutationem ubique statim subjungamus & oppositam iis veritatem breviter doceamus.

SECTIO I.